



## **Scientia Sanctorum**

Collecta Ex Meditationibus Ludovici De Ponte, Joannis Busaei, Joan. Suffren, Juliani Hayneufve, Et Antonii Gaudier, &c. E Societate Jesu, In Dominicis, Festa & ferias totius Anni digesta. Cum Indicibus duobus. I. In singulos dies. II. Ad Exercitia Spiritualia

**Puente, Luis de la**

**Dilingæ, 1685**

De S. Laurentio.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60588](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60588)

poris puritate, quam parum Deo, quam multum humanis auxilijs fidas, quam raro orationi vaces ut decet : & confundere.

DE SANCTO LAURENTIO. 10. Aug.

*De grano frumenti. Ioan. 12.*

PUNCTUM PRIMUM.

**I**esus dixit discipulis. *Nisi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit, ipsum solum manet : si autem mortuum fuerit, multum fructum affert.* Considera, licet nomine huius grani primario designetur Christus, granum purgatissimum ab omni peccati palea, quod mortuum in terra crucis, salutis æternæ fructum peperit : secundario tamen designari ab Ecclesia mysticum ejus membrum S. Laurentium, qui sicut granum, concussione flagelli persecutionis, purgatus est ab omnibus terrenis affectionibus : ut discas non spernere tribulationes, quia purgant sæpe nos à multis peccatis. 2. Considera, mortuum fuisse in terra, tum quia carnem suam in hac vita prorsus spiritui subdidit, & mortificavit, contemptis omnibus mundi delicijs, tum quia constanter per atrocissima licet tormenta, pro Christo mortem appetijt. 3. Multum fructum attulisse : tum quia sua passione maximam gloriam in cælo & in terra obtinuit : tum quia suo exemplo & constantia

S. Laurentius  
granum  
frumenti.

2.  
Mortuū.

3.  
Multum  
fructum  
attulit.

Tom. II.

K k

plu-



plurimos ad Christi fidem convertit, & ut similia paterentur, autor fuit.

## PUNCTUM II.

Odit  
animam  
suam.

1.

2.

3.

**Q***ui amat animam suam, perdet eam : qui verò odit eam in vitam aeternam custodit eam.* Considera eum amare animam, qui amat hujus mundi commoda, opes, honores, voluptates præ Christo : odisse autem qui contemnit, uti fecit S. Laurentius, qui desertis omnibus opibus, deserta Hispania, licet juvenis, servivit Xisto Papæ Romæ. 2. Xisto ad supplicium raptò, exclamavit : *Quo progredieris si ne filio pater ?* cui respondit : *Majora tibi debentur certamina.* Post triduum sacerdotem sequeris Levita. 3. Omnes facultates Ecclesiæ distribuit in pauperes, Christianis ante passionem suam latentibus in cryptis pedes abluit, cæcum sanavit, multos convertit & baptizavit, craticulæ affixus tortores irrisit, tyranno dixit : *Affatum est satis, versa & manduca,* quia segnior erat ignis, inquit S. Leo, qui foris ussit, quam qui intus accendit Flammis corporeis superari charitatis Christi flamma non potuit. **O** si eadem flamma arderes, quàm facile ambitionis iræ, cupiditatum omnium ardorem vinces.

## PUNCTUM III.

Quid sit  
mini-  
strare  
Christo.

**S***I quis mihi ministrat, me sequatur, & ubi sum ego, illic & minister meus erit. Si quis mihi*



*mihî ministraverit, honorificabit eum Pater meus.* Considera, illum ministrare Christo, qui eius mandatis & monitis tanquam obediens famulus obedit. 2. Qui ejus vices, si sacerdos vel superior sit, sedulo obit. 3. Qui pauperibus & afflictis, operibus misericordiae, vel corporalibus vel spiritualibus subvenit. Testatus est enim sibi fieri, quod vel minimo in ejus nomine fiet: quæ si nos quoque faciamus, verè Christum velut ducem & magistrum nostrum sequimur. Perfectissimè autem sequitur est S. Laurentius, qui tam fidelis fuit minister, ut etiam sanguinem pro eo profuderit, & exemplum ejus in passione secutus sit. 2. Considera, quantum præmium in cælo S. Laurentio & omnibus, qui aliquid pro Christo patiuntur, aut Christi membris per charitatem serio ministrant, paratum sit, quantus honor & gloria: sine dubio major, quam mens nostra excogitare queat.

Mini-  
stravit S.  
Lauren-  
tius per-  
fectissi-  
mè.  
Quanta  
mercede

## DE SANCTO BERNARDO.

20. Aug.

**Q**uæ præcipua sunt in vita sua, ipsemet Bernardus expressit in Meditationibus.

*Hoc mihi tecum pactum erit, plane moriar mihi ipsi, ut tu solus in me vivas: totus intra me si-  
lebo, ut tu solus loquaris in me: totus quiescam,  
ut tu solus opereris in me, & per me.*

## PUNCTUM PRIMUM.

**B**ernardus planè sibi mortuus est, ut totus in ipso viveret Christus. Ab eo tempore, quo

Mori-  
tur sibi,  
ut Chri-  
stus in  
ipso vi-  
vat.

Kk 2

nun-